



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XIX. Joannes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

his igitur. & sequentibus. Plura vide apud Molin. cit. loc.

Duo adde, primum. Non tantum ex Legatis, sed etiam donationibus mortis causa factis Falcidiam deduci posse. L. si mortis s. & L. penult. C. eodem L. 2. ff. de mortis causa donationibus.

Alterum. Modus detrahendi Falcidiam traditur in S. quantitas S. cum autem Inst. de L. Falcidia, & L. in imponenda 6. C. eodem, hereditatis, ac patri monij defuncti quantitatem considerandam esse secundum tempus mortis, ita, ut siue aucta sint bona, jacente hereditate, siue diminuta, nihil id proffit, aut obfit heredi; postea deducitur ad alienum defuncti, cum neque legata debeantur, nisi ante alieno deducto L. successores C. eodem. Deinde deducuntur funeris impendia cit. S. cum autem & quidquid haeres ratione testamenti, videlicet in eius insinuatione, conficiendo inventario &c. expendere debuit, L. ult. §. in compensatione C. de jure deliberandi. His omnibus deductis haeres, si hereditatem adijt, inventarium confecit, & legata solvere paratus est, quartam partem seu totius hereditatis, si unicus, seu ex alie haeres est, seu portio nis, in qua institutus est, habere debet.

CAPITULUM XIX.

Joannes.

PARAPHRASIS.

Clericus O. de bonis suis per ultimam voluntatem quaedam legavit ad pia loca, executores constituens Joannem Clericum, & P. Laicum, quibus etiam mandavit, ut creditoribus suis satisfacerent; capropter Gregorius IX. ait, hos executores, cum mandatum susceperint, cogi debere ad exequendum.

SUMMARIUM.

1. Episcopus etiam Laicum executores compellere potest ad executionem piam voluntatum.

2. Nemo quidem cogi potest ad manus executoris testamentarij suscipiendum, compelli tamen ad executionem potest, si munus hoc in se susceperit.

Notandum primum. Ad executionem piam voluntatum Episcopus etiam Laicum executores compellere potest. Addit verò Abb. n. 2. id locum etiam habere in causa non pia, saltem si testator Clericus sit, & ideo insinuatio testamenti coram Judice Ecclesiastico fiat, prout satis colligitur ex c. isto.

Notandum secundum. Munus executoris testamentarij nemo cogitur suscipere, sed postquam susceperit, jussa defuncti implere debet. Ita etiam docui lib. 3. tra. 5. c. 11. n. 2. Sufficit autem acceptatio tacita, quae ex facto cognosci possit, ut si litteras scienter accepisti, in quibus officium executoris tibi demandatum, nec contra protestatus es, argum. Clement. 1. de procuratoribus, & tradit Bartolus in L. C. Titius. ff. de constituta pecunia, quod in ijs, quae per epistolam inter absentes geri, & obligatio contrahi potest, qui scienter suscipit litteras offerentes obligationem, & non contradicit, v. g. coram testibus, consentire censetur.

Deinde bene admonet hic Abb. n. 3. quod Superior ad quem cura ista pertinet, videlicet Episcopus in legatis pijs, vel etiam non pijs, si testator Clericus sit, possit aliquem sibi subditum, si ita opus sit, compellere, saltem ut delegatum sive commissarium suum, ad exequendum. argum. c. pastoralis 28. de officio delegati. & L. 1. C. qui pro sua jurisdictione, &c.

Ad extremum adverte, quod executor testamentarius rationem acceptorum, & expensorum Superiori reddere teneatur, prout monuit Archidiaconus in c. Episcopus. distinct. 80. atque conveniens fore, ut haeres, & legatarij intersint, quia ipsorum interest.

* *